



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Art. 9. De obligationibus Matrimonium consequentibus

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

ead omnino retineri S. Synodus vehementer optat.

Articulus Octavus.

De obligationibus Matrimonium concomitantibus.

Obligatio est: ut sint liberi ab omni impedimento, tam dirimente quam impediante. 2. Obligatio est: ut in copulatione adsit Parochus & ad minus duo testes. 3. Denique obligatio est: ut adsit verus mutuus consensus, signis externis legitime utrimque datus.

Articulus Nonus.

De obligationibus Matrimonium consequentibus.

Obligatio est: debiti Conjugalis redditio: cujus obligatio tanta est, ut absque mortali peccato non possit alter alteri negare, nisi justa causa excuset. Fundatur vero in contractu Justitiæ, quia ut ait Apostol: ad Corinth. 7. *Mulier potestatem sui corporis non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet,*

sed uxor. Unde & ante intulerat : uxor vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro. Et ostendens obligationem vers. 3. superaddit: Nolite fraudare invicem nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum revertimini in id ipsum, ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam vestram.

Porro obligatio hæc suis terminis coarctatur, nimirum : 1. Ut honeste petatur, non enim tenetur Conjugi inhoneste vel inhonesta petenti, debitum reddere, sed tantum inter terminos honestatis Conjugalis, neque enim tenetur uxor reddere debitum accedenti præpostere, & contra ordinarium modum, cum periculo effusionis seminis, vel alterius inordinatæ libidinis. Eadem ratione non tenetur reddere debitum, si publice vel in loco inhonesto petatur. 2. Ut iuste petatur: tunc autem iniuste censetur peti, quando cum magno detrimento alterutrius Conjugis, aut tertii petitur, aut in irreverentiam Dei. Hinc Conjux infirmus non tenetur petenti debitum reddere. Item si ex impetu
vehe-

vehementi timeat probabiliter infirmitatem. Item si ex nimio uteri tumore timeat abortum. Item tempore menstruorum: si probabiliter timeat in prole monstruositatem. Item si petatur in loco sacro, non enim ibi tenetur alteruter reddere, ob reverentiam Dei & loci sanctitatem, qui moraliter illis actibus profanatur. 3. Requiritur ut oportune petatur: opportunitas autem mensuranda est loco, tempore, circumstantiis, unde non tenetur reddere in cubiculo ubi proles dormiunt. Quo ad tempus, non judicatur opportunum quando orationi vacandum, specialiter nocte præcedente Diem quo sacra communio sumenda est.

2. Obligatio est: fides intemerata Thor i Conjugalis, ad quam mutua obligatione conjuges tenentur, & consistit in hoc, ut nec affectu, nec facto, in alterius copulam unquam consentiant. Unde est illud *ad Rom. 7. Nam quæ sub viro est mulier vivente viro alligata est legi: igitur. Subdit: vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.*

S 4

3. Ob-

3. Obligatio est: dilectio Conjugum, & societas indivisa, quam urgent scripturæ: & quidem ad Ephes. 5. *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam.* Iterum: *Ita & viri debent diligere uxores suas sicut corpora sua, qui uxorem suam diligit se ipsum diligit, & alibi sæpius: Debet vero amor ille esse beneficus, castus, honorabilis ac intimus, & velut primitivus,* Porro quæ dicta sunt de amore viri ad uxorem, è converso debent aptari amori uxorum ad Maritos, unde monet Apostolus: ad Tit. 2. *Annus similiter in habitu sancto &c. (inquit) prudentiam doceant adolescentulas ut viros suos diligant.* Notandum vero quod interdum licita sit separatio individualæ societatis vitæ, quo ad Thorum duntaxat, & habitationem, non vero quoad vinculum, hujus causæ variæ referuntur in jure communi: V. G. ob alterutrius adulterium, nimiam sævitiam, periculum alicujus mali, gravis infamiæ, peccati mortalis, mortis, item ex mera voluntate & consensu mutuo. Si absit periculum peccati, vel gravis detrimenti, possunt libere Conjuges

juges non solum ad tempus, sed etiam in perpetuum ab invicem separari.

Articulus Decimus.

De Mariti Personalibus obligationibus respectu uxoris.

TRes potissimum sunt mariti ad uxorem personales obligationes, obligatur enim ad sustentationem, instructionem, protectionem, jure sustentationis obligatur uxori, ad congruum alimentum & vestimentum, etiamsi dotem non attulerit, hoc enim ipso, quo indotatam ducit, censetur in suum onus eam ducere, & onus alendi in se suscipere; ita etiam ut indotatam, cogatur maritus rixosus extra domum alere. Sub instructione, ad quam tenetur maritus uxori, continentur omnia quæ pertinent ad uxoris & familiæ congruam directionem, tamen moribus, quam in aliis, quia est caput uxoris & familiæ, unde tenetur illam instruere, vel curare instrui in ijs, quæ sunt salutis & bonorum morum, ac muneris veræ matris familias; tenetur corrigere ubi errat, insuper tene-